



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De auditione & lectione diuini sermonis. VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

2. Omne gaudium, quod de Deo non est citò perit, maculat, & ledit. Bonus sermo suavis est ad audiendum, durus turbat amicum; ociosus perdit temporis fructum. Esto diligens in operando bona, patiens in tolerando mala; & beatus eris in via tua, Deum laudando omni hora. Rarò tibi vnum vel alterum deerit istorum, existari aut lætari. Felix, qui omnia ad bonum trahit, & de aduersis lucram sibi facit. Qui Deum diligit, amara sicut dulcia æqualiter à Deo accipit, & gratias agit. Bene & firmiter stat, qui non in se nec in homine, sed in Deo spem suam ponit.

CAPVT VI.

De auditione & lectione diuini sermonis.

Lucæ II.

1. **B**eatè, qui audiunt verbum Dei. Vile est solatium humanum, quod impedit diuinum. Cùm sacra lectio legitur, Deus tibi loquitur, ideo cum humilitate verbum Dei audi gratanter. Veritas non est aspernanda, à quocumque simplici proferatur. Qui bene viuunt, bene docent; & qui bene legit, Dei nuncius est. Fidelis nuncius nociua tacet, vtilia refert, fingere nescit. Pura veritas, inuicundum verbum. Subtilis sermo paruulis nocet, blandus sæpe decipit. Falsus narrator, pacis turbator: qui illum audit, scādalum non euadit. Iudex discretus, omni laude dignus: durus & immisericors, non est misericordia dignus. Iracundus animus torquet seipsum grauius, vexat innocentes sapius, maledicit potentibus occultè, & deridet apertè bene agentes.

2. Dolosus in verbis fallit sibi credentes, ideo paucos habebit amicos. Bonum est tacere mala, sanctum vera proferre, rationale modestè agere. Iustum est nulli nocere, pium omnibus prodesse, religiosum verbis & moribus proximum ædificare. Prudentis est agenda præmeditari, & sine causa nil noui quærere; ignota non facillè enarrare, dubiosa non statim confirmare. Magnum bonum pro pace cordis, silentium oris: nam os fatui, quasi semper apertum rixisque proximum. Qui Deo placere desiderat, cor & os custodiat; ne deuotionis gratiam perdat, & quietem amantes offendat. Multa pulchra verba non implent saccum, nec eloquentia verborum sanctificat otiosum neque ambitiosum. Qui bene facit, bene habebit.

CAPVT VII.

De diuina consolatione in tribulatione.

Psal. 33.

1. **I**uxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde. Nemo inuenitur tam bonus & deuotus, cui non occurrat aliquid oneris & grauitatis. Cùm ergo fueris in tribulatione & cordis mœrere, tunc